
EX PETRI ALCYONII
LIBRO PRIORE DE EXSILIO

Audiebam etiam puer ex Demetrio Chalcondyla, Graecarum rerum peritissimo, sacerdotes Graecos tanta floruisse auctoritate apud Caesares Byzantinos, ut integra eorum gratia complura de veteribus Graecis poemata combusserint, in primisque ea, ubi Amores, turpes lusus, et nequitiae amantum, continebantur; atque ita Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis, Alexis, fabellas, et Sapphus, Erinnae, Anacreontis, Mimnermi, Bionis, Alcmanis, Alcaei, carmina, intercidisse: tum pro his substituta Nazianzeni nostri poemata: quae etsi excitant animos nostrorum hominum ad flagrantiorum religionis cultum, non tamen verborum Atticorum proprietatem, et Graecae linguae elegantiam, edocent. Turpiter quidem sacerdotes isti in veteres Graecos maleuoli fuerunt, sed integritatis, probitatis, et religionis, maximum dedere testimonium.

Sunt verba Iohannis de Medicis, qui, dignitate Pontificis Romani auctus, Leo X. dictus est. vid. Colomesius Κεϋμνλ. literar. cap. 15. Opp. p. 291. Fabric. et Elingius hist. linguae Gr. p. 114. ff. Lips. Laudantur etiam a Schelhornio commentat. de studio Vfenbachii bibliothecario, praemissa Commercii epist. Vfenbach. select. P. 4. p. 138. et Amoenitt. literarr. To. 7. p. 93.
